Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



confiteretur esse xpm: extra synagogam
fieret. Propterea parentes eius dixerunt
quia etatem habet. ipsum interrogate.
Vocaverunt ergo rursum hominem qui ce
cus fuerat: et dixerunt ei. Da gloriam
deo. Nos scimus. quia hic homo peccator est
Dixit ergo ille. Si peccator est nescio:
unum scio quia cum cecus essem. modo
video. Dixerunt ergo illi. Quid fe
cit tibi? Quomodo aperuit tibi oculos?
Respondit eis. Dixi vobis iam. et au
distis. Quid iterum vultis audire?
Numquid et nos vultis discipuli eius
fieri? Maledixerunt ergo ei: et dixe
runt. Tu discipulus eius sis: nos autem
moysi discipuli sumus. Nos scimus quia
moysi locutus est deus: hunc autem
nescimus unde sit. Respondit ille homo.
et dixit eis. In hoc enim mirabile est. quia
nos nescitis unde sit: et aperuit oculos
meos. Scimus autem quia peccatores deus
non audit: sed si quis dei cultor est: et
voluntatem eius facit. hunc exaudit.
A seculo non est auditum. quia quis ape
ruit oculos ceci nati. Nisi hic esset
a deo: non potest facere quicquam. Re
sponderunt et dixerunt ei. In peccatis na
tus es totus: et tu doces nos? Et eie
cerunt eum foras. Audivit ergo ihesus
quia eiecerunt eum foras: et cum in
venisset eum dixit ei. Tu credis in fi
lium dei? Respondit ille et dixit ei. Quis
est domine ut credam in eum? Et dixit ei
ihesus. Et vidisti eum: et qui loquitur
tecum ipse est. At ille ait. Credo domine.
Et procidens adoravit eum. Et dixit ei
ihesus. In iudicium ego in hunc mundum
veni: ut qui non vident videant. et
qui vident ceci fiant. Et audierunt
quidam ex phariseis. qui cum ipso erant:
et dixerunt ei. Numquid et nos ceci sumus?

Dixit eis ihesus. Si ceci essetis: pecca
tum non haberetis. Nunc vero dicitis quia
videmus: peccatum vestrum manet. Ca. x.
Amen amen dico vobis: qui
non intrat per ostium in ovile
ovium. sed ascendit aliunde.
ille fur est et latro. Qui autem intrat
per ostium: pastor est ovium. Huic os
tiarius aperit: et oves vocem eius
audiunt. Et proprias oves vocat
nominatim: et educit eas. Et cum proprias
oves emiserit. ante eas vadit: et
oves eum sequuntur. quia sciunt vocem
eius. Alienum autem non sequuntur. sed fu
giunt ab eo: quia non noverunt vocem
alienorum. Hoc proverbium dixit eis ihesus.
Illi vero non cognoverunt quid loqueretur
eis. Dixit ergo eis iterum ihesus. Amen
amen dico vobis: quia ego sum ostium
ovium. Omnes quotquot venerunt fu
res sunt et latrones: sed non audierunt
eos oves. Ego sum ostium. Per me si
quis introierit salvabitur: et ingre
dietur et egredietur: et pascua inve
niet. Fur non venit. nisi ut furetur
et mactet et perdat. Ego veni ut vi
tam habeant. et habundantius habeant.
Ego sum pastor bonus. Bonus pas
tor. animam suam dat pro ovibus suis. Mer
cennarius autem et qui non est pastor cu
ius non sunt oves proprie: videt lupum
venientem et dimittit oves et fugit. Et
lupus rapit. et dispergit oves. Mer
cennarius autem fugit. quia mercenna
rius est. et non pertinet ad eum de ovibus.
Ego sum pastor bonus. Et cognosco
oves meas: et cognoscunt me mee. Si
cut novit me pater. et ego agnosco
patrem: et animam meam pono pro ovibus
meis. Et alias oves habeo que non sunt
ex hoc ovili: et illas oportet me adduc